

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXXI. Qualiter homo secundum placitum dei vivat

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

eum in gratiam meam susceperim, decent tamen eum sordes suas detergere, et decore virtutum se vestire. ,

## CAPUT XXXI.

## QUALITER HOMO SECUNDUM PLACITUM DEI VIVAT.

**E**XORATA rogabat Dominum pro quadam persona, ut se instrueret quomodo secundum placitum suæ voluntatis vivere posset; pro qua tale responsum a Deo accepit: « Ipsa more sponsæ caput suum, manus, brachia et pectus suum adornet, et mantello se circumdet. Caput ejus divinitas mea est, quam laude et reverentia velut diademate adornet. Manus quoque et brachia annulis et armillis aliisque ornamentiis decoret: hæc enim cuncta opera sua et labores, in unione et intentione operum et laborum meorum faciat. Habeat quoque annulum sapientiæ, hoc est, Scripturam sanctam frequenter legat, et memoriter teneat, quia sponsam sapientiæ decent esse in divinis eruditam. Habeat etiam annulum amoris, Deum scilicet toto corde, totisque viribus unice diligendo; annulum insuper fidei teneat, hoc est, fidem quam mihi professa est, omni diligentia servet; annulum quoque nobilitatis habeat, hoc est, exempla virtutum mearum imitetur: humilitatem videlicet, obedientiam, patientiam, voluntariam paupertatem, et cæteras virtutes meas, ex quibus anima nobilitata amplexibus meis digne perfruatur. Pectus vero suum adornet: suaves scilicet, et amatorias de me cogitando cogitationes, recolligens sibi in fasciculum omnia verba, opera, et passiones meas, quæ per jugem memoriam a corde ejus non recedant. Circumdet

Sit Christi.  
Sponsa in di-  
viniserudita.

se etiam pallio; hoc est diversarum decore virtutum se cunctis præbeat in exemplar. »

Alia vice cum pro eadem oraret, videbatur sibi Dominum extendere manum suam ad illam pro qua orabat, et illam singulos digitorum ejus osculari; per quod divinitus intellexit designari: per extremum scilicet digitum, quod omnia opera humanitatis Christi, quæ fecit aut passus est, venerari et amare deberet; per annularem notabatur familiaris amor et fidelitas quam ad Sponsum Christum habere deberet; per medium digitum, eminentia cognitionis et contemplationis; per indicem, sapientia et doctrina quam indigentibus deberet impertiri; per pollicem, fortitudo et perseverantia divini amoris omniumque bonorum. Per hoc quod osculabatur digitos Domini, innuebatur quod has virtutes non solum habere deberet, verum etiam diligere; quia quantumcumque virtutis possidet homo, in amore ejusdem virtutis etiam delectatur.

Singulos  
Christi  
digitos  
osculatur  
anima.

### CAPUT XXXII.

#### QUALITER HOMO SE DEBEAT AD DEUM TENERE.

**A**LIA quoque vice, pro quadam orabat scire cupienti quid Deus ab ea maxime vellet. Pro qua tale responsum audivit: « Ipsa, inquit, habeat se ad me sicut puer qui tenere patrem suum diligit, et semper ad ipsum ut aliquid sibi det recurrit; cui quidquid pater dederit, ex affectu quo ipsum diligit, pro magno et caro habebit. Sic et illa semper ad gratiam meam anhelet, et omnia quæ sibi dedero, nunquam parva reputet, sed ex amore cum magna gratitudine susci-

Homo se  
ad Deum  
habeat sicut  
puer ad  
patrem.